…dar

Episcopus Culmensis

Thorunensis Collegii S. J. Sagittae Dzialyniae

cursus.

SAGITTÆ DZIAŁYNIAE CVRSVS

QVEM

ILLVSTRISSIMVS AC REVERENDISSIMVS DOMINVS

D. GASPAR

A

DZIALIN

DZIAŁINSKI

DEI GRATIA

EPISCOPVS CVLMENSIS ET POMESANIÆ.

In auspicatissimo Cathedræ suæ aditu felicissimum obtinuit.

Publicâ exceptus lætitiâ

A

Collegio Thorunensi SOCIETATIS IESV.

POSNANIÆ,

In Officina ALBERTI REGVLI Anno Domini 1640.

Sagitta ſalutis Domini.

4. *Reg:* 13.



In lucem iacula Tᴠᴀ ibunt: non in occultũ, ſed in manifeſtum verba Tᴠᴀ mittentur.

S. Auguſt: lib: 18. *de Ciuit: cap:* 32.

AD
ILLVSTRISSIMVM
AC
REVERENDISSIMVM
DOMINVM
D. GASPARVM
A
DZIALIN
DZIALINSKI
EPISCOPVM CVLMENSEM ET POMESANIÆ.
PROFASIS.

TErnionem rerum difficilium numerauit diuinioris Antistes Sapientiæ, qui inuias post se relinquat vias ILLVSTRISSIME *ac* REVERENDISSIME DOMINE. *At huic ego enitentem in altum Sagittam cogor addendam fateri, cùm gentilitiam Tuam Sagittam, ad sacri honoris metam felicissimè pertingentem, cothurnato insequi gressu contendo. Quæ cum in reliquo virtutum cursu pernicissima semper, lucidissimaq; præierit, in pertingendo sacræ tiaræ scopo obtutus omniũ elusit, dedocta præter morẽ, festinare. Quanquã hîc quoq; festinantem quis, & radiantem agnouerit; quòd ad natiuum virtus lumen maximè fulgeat, præcipitiq; ille cursu vltra communem hominum sortem rapiatur, qui in stadio probitatis Gygantæos figat passus, testudineos in honoris. Ambitiosa dudum spectabat sacrum Caput hæreditaria Præsulum Culmensium, & Pomesaniæ mitra, quod coronaret: corona audire fastidiẽs, nisi tam alto vertice fulciretur. Tædiosus nutabat pontifica-*

*lis Lituus, non inueniens quâ suscitari dexterâ tutò posset; versus penè in auguralem, quò certam abreptæ aliquando Sagittæ Tuæ viam posset ominari. Aspirabat orbatæ Ecclesiæ Tuæ sacer senatus, aurasq; suspirijs geminabat. Sed enim desideria omniũ protrahebas, vt æstuare doceres magis. Volebas obdurare solicitudine priùs pastorali Caput, leniùs posthac ab Infula, quàm vel Diui olim Nicecij, ambiendum: & quemadmodum Reges ensi priùs assuefaciunt dexterã, quò faciliùs postea sceptrum ferat; ita Tu bella priùs Domini exercituum promouens, robustam Lituo manum obfirmasti. Foris priùs sentiri Præsul cupiebas, quàm vocari domi: optimam secutus partiendi muneris Tui rationem in timorem, & amorem. Et vt latiore progrederére viâ ad princip**ẽ** Ecclesiæ Tuæ Cathedrã, Sacris eam priùs meritis ampliâsti; sciens honori illa demũ calcanda securè notari vestigia, quæ rectè priùs facta prætriuerint. Nisi dicere magis libeat, in Pontific**ẽ** Te ritu sacratiore inauguratũ, ita profana auersatũ omnia, vt & ad Pontificale soliũ adeundum, sacrum expectares cliuum, quem eximia virtus Pontificia insterneret. Vt vt tamen est, dum absolutam satis virtutem, diutiùs erudis ad nomen Episcopi non inane, optatissimumq; aduẽtum Tuũ Sacro facis Collegio Tuo ambiguum; illud longiore tædio affecisti; nos verò, primum Aduentum Tuum, concepta dudum Animis, gratulandi potestate, debitæ obseruantiæ tesserâ, penè spoliâsti. Famam etiam ipsam (nobis inuidentem) nactus nimium ambigendo ancillarem. Quare dabis veniam* ILLVSTRISSIME *ac* REVERENDISSIME DOMINE, *si sacro Tuo honori, non eam adornamus apprecationem, quam & Tua Amplitudo & nostra desideria exigerent, sed innati Symboli Tui Sagittam, ad capessenda Præsulatûs iura lentè festinantem, deproperatâ lætitiæ explicatione propellimus. Rati hanc officij nostri partem eâ excipiendam fronte, quâ sacras illustrari mitras plurimos in annos exoptamus.*

Illustrissimæ TVÆ Celsitudinis
Deuotissimum

Collegium Thorunense Societatis IESV.

ORATIO.

ID, quod ipso dicentium vsu facit aliis ad diducendas Mecœnatum laudes, vt difficultatem dicendi initio fateantur, mihi in TVA ademptum Panegyri est ILLVSTRISSIME & REVEREND: DOMINE. Agnatam enim noscens literarum sagittam, natiuū TVVM decus, tam profiteri video turpe nescire TVAS laudes, quàm vel prima discētibus rudimenta Apollinem. Ipsum quippe TE Naturæ præsagium Scientiarū Præsidi longè ante copulauit; seu quòd tum iam suum Apollo cognosceret; seu quòd eam præuideret Virtutem TVAM, quæ Scientiarum posset quandoq; conatus non difficilè fatigare. Adeò scilicet facilis obuenit mihi laudandi TVI ratio, vt vel ipsam difficultatis excusationem restitutā sentiam cum aliis, quàm ereptā modò, præ aliis dequerebar. Præterquàm quòd adoptiua aliis volētibus succedat sæpe infantia; mihi à Delphico afflata oraculo, vnde facundia meritò sperabatur. Nam cùm multorū encomia molli decantare barbito, & vno ludere digito Phæbus nôrit; TVAM in altū gloriæ Sagittam vt prouehat, plenâ dextera, & validissimo iactu opus habet. Solicitare nihilominùs Apollinem placuit, vt gentilitiam TVAM Sagittam ILLVSTR: & REVEREND: DOMINE, ad sacri honoris metā felicissimè pertingentē, vel à longè

ſequeretur, tendentiq; Zephyros fauſtiſsima apprecatio geminaret. Quanquã, cùm intima animi geſtientis vota hæc ſint, diſsita non audeã dicere: deſideriis namq; nil remotum, nil inuiũ teſtatur, amore idẽ, & ſagittâ potens Devs. Atque ſi Diuinam illam penè eiuſdem vim complectar, quâ vibrabiles in totius Sarmatiæ hemiſphærium exerit radios, Apollinis longè, Dianæq; ſagittis, etſi non obſcuris Pòëtarum commentis ſat luceant, pulchriùs radiabit. Cœleſtibus adnumeratum ſignis, lumen addere, & ſtationes Soli voluit Antiquitas Sagittarium: arcanam vt hoc ſymbolo efficaciã lucidiſsimi Mũdi oculi deſignaret, qui, quantùmuis remotas, plantarum, herbarumq; radices penetret, & ad incrementa promoueat; occultiſsimoſque rimatus terræ ſinus, rudes glebas pretioſo partu ſoboleſcere faciat in metalla. Splendidum hoc omen Tuo debebatur illuſtriſsimo Sagittario; qui iam inde, vnà cum ſurgentis Lechici nominis gloria, toto eſt imperio latiſsimè peruagatus, in ſplendore fulgurantis haſtæ Tuæ. Quidni enim haſtam meritò dixerim gentilitiũ Sagittæ Tuæ decus, quod ad tantam gloriæ plenitudinem adoleuit? Nulla eſt Poloniæ pars, nulla vaſtiſsimi huius Imperii tam minuta portio, quæ perniciſsimo laticlauiæ huius Proſapiæ curſui non patuerit; iure vt potiori Dzia͏łynius poſsit gloriari Sagittarius, quàm Tamerlanis. via his quacunque patebit.

Quòd ſi

Quòd si arctiorē incuset quispiam Sarmaticæ dimensionis arcū, quē vna hæc, variis licèt intentū accessionibus finiū, Sagitta emetiatur, ille velim videat, quàm celerrimè, non vnius duntaxat Sarmatiæ, sed orbis totius limites prætergressa, Cœlos petat. Quòd enim Lechici triones nouum affulgere sibi iubar lætentur, quòd inter sua numeret Hyacinthū sidera, huic Illustrissimo Sanguini Cœlum debet. Nequè vnius solùm Hyacinthi amabile lumē Olympo inseruit; sed tot æthram, quot Patriam ante fulgoribus cumulauit. Frustra furaces iactes Promethee, Pòetarū exsufflatos ingeniis, ignes, hominē vt vitâ animes: cœlesti penèdono vitalis incēdii decus Lechicis se Terris effudit, splendido vna, & aureo diluuio. At non trabeatus aliquis vstor Nero feralem Poloniæ subdidit facem; non iratum depluit missiles Sarmatiæ Cœlum Sagittas ad exitiū, sed quicunquè sunt demum superorum qui Regnum hoc æternùm incolume velint. Quirinalem olim dequesti quirites imbrem, cùm Sagittis grandinans aër, eliquaretur in sanguinē, furoris vnà & interitûs Romæ depluens diluuium: nobis veró tum demū Salus Patriæ, tum àugmentum, tum ornamentum, benigno decidua cœlo venêre, cum his liberaliter Sagittis pluit. Fatendum tamen est, non ex voto omnibus imbrem hunc sagittiferū accidisse. Sensit Borysthenes, sensit Ister, sensit Tyras eius mi-

nas, efficaciùs quàm Hellespontus Xerxis imperium, cùm pro vnda eos sanguinē fluere doceret; & armatas Osmannicæ tyrannidis procellas cognato sanguine temperaret. Sensisti sudermanice prædo Sagittæ Dzialyniæ pernicitatem simul, & grauitatem: sensissesq; meliùs, nisi ranarum, muriūq; in Prussia munera (quæ caduceator olim Scythicus Dario obtulerat) Sagittæ prætulisses: quin auem quoquè gallicâ, & hollandicâ liberalitate munerū accremento apponens, in Germaniam auolâsses! Non quò faciliùs ad exitium pertigisses: sed quòd dignum tantæ in Polonia impietati nusquam bustum superesset. Habes Antistes ILLVSTR: Quirim TVAM hostico satis sanguine purpuratā, quiescentis eam substerne Capiti Borussiæ; Terram nunquam contigit, amorē feret. Et quiescentem ego eam libens dicam aduentu TVO ad orbatum & ipso sagittifero moderatore Præsulatum: non lethæo gaudens Prussiæ sopore, quo dudum obruta, vtinam euigilaret aliquando; non á domesticis dicens quiescentē tumultibus, quibus suā sibi ciere non satis destitit perniciem; sed, quod cruore incantatis humano tribuit nonnemo sagittis, dormientibus subiectas, philtrum amoris, & concordiæ ferre; idem TVA ego Illustrisima video in Sagitta, virgam velut Mercurij spondente, laurū vnà Præsuleæ Tuæ Mitriæ nexurā, & oleam. Ita fiet, vt coronata Sa-

gittis

gittis Prussia, sublime circumferat cap ut, amabile suis omnibus, hostibus formidandum. Vano id sibi Æthiopes quandoq; omine pollicebantur, sagittis ad bella coronati prodeuntes, quò & oculos hostium timore sauciarent. TVAM Illustrissimam Prosapiam, quæ etsi Augustam Regni Coronam semper ornauerit, imò (si verè censuit Seneca, venustiùs Regū capita salubribus consiliis, quàm auro coronari) coronarii instar ornamenti Reipublicæ fuerit. Hanc, inquam, tamen Illustrissimā stirpis Tuæ seriem suam nouit Prussia vel maximè coronam esse. Cuius cùm illustrsimi Prussici satrapæ Fratres TVI, circulum absoluant perfectissimum, splendorisq; radios, TV, Pontificia radians tiarâ, quid dicam? nisi supremum diadematis huius ornamentum vnâ, & præsidium addidisti, Sagittam docilem commutans cruci. Intenta neruo quotiescunq; arcui incumbit, Sagitta, ad scopum dirigenda, ipso Naturæ artificio perfectam crucis figuram exprimit: miro quodā fœdere minas iungens solatio, asylum periculo, cuspidem cruci: vt quantum parte ab vna terroris oppositæ inferat aciei, tantum fiduciæ ab alia, rectè si spectetur. Minax vnà, & salutiferū hoc pignus auitæ virtutis Maiorum Tuorum, nunquam non Illustrissimorū est ILLVSTRISSIME & REVEREND: DOMINE, ex qua, Cydonia āpliùs fertilitate, Apollinea velut è pharetra, prodière viri, quà Religionis zelo, quà Fortitudine

titudine celeberrimi: sacro, ciuili, bellicoq; semper honore, non ad fastidium virtutis, dignissimi. Hoc impleti rerũ à Maioribus Tuis præclarè gestarum gloriâ fasti Poloniæ, hoc hæreditariæ penè, Culmensis, Pomeranæ, Dobrzynensisq; oræ satrapiæ, multis à sæculis Amplissimo Tuo Generi; hoc cõtracta cum Nobilissimis Familijs Zamoysciorum, Sangusciorum, Tarnouiorum affinitas, orbi, me tacente, loquuntur. Vt de arcu Poloniæ, his animato Sagittis, Gratiani nunquam ostenta hostibus euenerint, euenturaq; sint, quantumlibet sibi somnia fingant. Quin illud hic quoq; mutandum erit sapientũ effatum, arcum intentum facilè rumpi cùm Sarmatici robur nerui continuâ huius Sagittæ intẽtione sumat vires. Verùm hoc Tuo in vnius expressum legimus Nomine Præsul Illustrissime, dequo Sacræ, profanæq; Politiæ contẽtio multa fuit; nisi vincere vtramque, quàm alterutram magis decuisset. Euibrata toties Quiris Tua acutissima, ad statam velut metam, ad quam per submissa Caduceatorum suffragia publicæ incolumitatis consilia collimarẽt, præsentissimã semper Reipublicæ salutẽ, tutiùs, citiùsq;, quàm suo Cæsariana Ciceroni attulit. Illa verò, quæ supremam propè in hoc Regno obtinuit auctoritatem, grauissima iudicandi ratio, quæ ex omnibus Regni satrapiis consessum Iudicũ habet lectissimũ, quid, præter depulsam ab hominibus calamitosis

male

malè potentium insaniam? vindicatam iniuriam? erectam, per Te, Iustitiam proclamet? Accusauerit illa sanè Gylippi noctuas, apud aliquos in insidijs latitātes, quæ lumē suū incestauerint; dequeratur Darij Sagittarios, quibus se pulsam suâ statione, vt Asiâ potiundâ Agesilaus, lamētetur: huius acies Sagittæ erat subtilior, quàm vt auro posset hebetari. Ergo tantis sublata velut pennis, quibus ad altum honoris culmen, non iam cursu pernici eniteretur, sed deueheretur volatu, metas habere cæpit, quibus infigeretur, penè præuolātes. Quanquam dimidiatâ cum fulget metâ, ostendit clarissimè eam se esse, quæ quocūq; tandem constituta loco, quemcunq; directa ad terminum esset, Fortunam sibi ipsa factura videretur. Sed nimirum hoc semper magna habet virtus, vt cœlestis memor originis, celsa petat, terrenis ægrè angustiis teneatur. Romanam elegisti vrbem, orbis caput, quæ Sagittæ Tuæ victrici Thyrsum daret; quò coronata, nihil reliquū petens infra Solis metas, signaret ad astra vias. Ex quo enim feracissima illa sanctimoniæ manu, æternum sacri honoris diadema, fronti meritissimæ impressū magis, quàm impositum accepisti, defixos in Te obtutus auertisti omniū, spectantiū, quorum Ductor vigilantissimus esse deligeres populorū. Et licet vicariâ Christi dexterâ, ac maiore quasi suffragio Diuinus Mystes inauguratus, vrnam illam orbis totius Antistitum,

Vaticanæ

Vaticanæ ſplendorẽ fefelleris Baſilicæ, ad iurarũ quærendi honoris hoſtem Te recipiens, Tuæ minimæ Societatis Religioſum Templum, ſacris inibi primùm operaturus; nihilominus tam potenti intenta manu non fruſtra Sagitta eſt; neq; humiliorẽ ſpectare potuit terminũ, quàm ſacri ſoliũ Præſulatûs. Pontificẽ Te iam inde publica vouebat ſalus; Pontificem emerita creabat virtus; Pontificẽ vna omniũ conſenſio agnoſcebat; vnicũ Tvvm tædioſè expectans ſuffragiũ, Pontificẽ vt vocaret. At enim concordia nonnihil morabâre vota; ſalutare fortunam mallens, quàm prenſare; faciliimũ ratus honoris adijcere nomen Animo, ad honorem optimè præparato. Fatis ſcilicet ita benignè agẽtibus, vt, quoniam intenta ad validiorem iactum Sagitta Tva Cœlos petitura videretur, illis potiſſimũ ductrix notaret veſtigia, quibus aditus Cœli maximè inuius videretur. Arcum, directâ Cœlum verſùs Sagittâ armatũ, Paullus Sforcia Marchio Carauatii præferebat prudentis conſilii ſymbolum, hac acutâ epigraphe illuſtratum. ſic itur ad aſtra. etenim galeam ille in infulam; enſeq; in lituum Pontificium commutârat. Omen hoc erat Antiſtes Illuſtriſsime, cuius auſpicatiſsimus euentus Tibi ſeruaretur. Latiſsimis iam ſæpè præcurrẽs veſtigiis laudẽ aliorũ bellicã agnatꝰ Tibi Sagittipotẽs, nõ verbis, ſed reipſa oſtẽdit. Sic itur in hoſtem. Nec defuêre, qui altiſsima è Pontificatûs

ſpecula

specula monstrent hodieq; super astra viam tutissimã: sed vtiliùs id muneris præstandi Tibi copia soli debebatur; qui ipsâ Iouis lucidiùs, & efficaciùs Sagittâ, Cimmerijs hæresum tenebris intonares. Sic itur ad astra. Vt meritò dimidius ille annulus, Sagittæ TVÆ subditus, non aliud prænotâsse videretur, quàm habiturã quandoq; Prussiam eum Pontificẽ, qui erraticos ab Orthodoxæ fidei vnitate multorũ animos sibi, Deoq; restituens, efficeret, vt hians deficientis annuli lacuna expleretur, plenũq; coiret in orbẽ. Hoc nos Præsul Illvstr: Tibi, hoc sibi per Te ora Culmensis, imò Sarmatia tota vouet; hoc desideriorũ tessera Sagitta, Sertorij, Scyluriq; manipulo firmior, iure spõdet. Ex ampæũ barbarici Regis Arianthæ magnanimus ahenũ cape, tot illustrissimarũ conflatũ acuminibus Sagittarũ: non quò impletũ thracico, sudermanico, bistonioq; cruore libes, lautissimã orco victimam; sed delphicũ velut tripodẽ, è quo Diuinus vates oracula Borussiæ pandas ad salutẽ. Carpe auspicatus sacri iura honoris; promoue auspicatior; perfice auspicatissimus. Nì illa inuidens optatis, aura, preces dissipet; quæ hac à ripa ZADZIKOVIANAM Argonauim rapiens, vno tranatu, vno remi iactu, non tam superatis, quàm prætermissis Oceani infinitis iugis, optatum detulit in portum. Illa, quæ Illvstriss: Tuæ non absimilem, LIPSCIANAM sarissam, ad supremi detulit Præsulatûs metam, penè priùs quàm hoc intenta neruo proruisset. Tva in cursu Sagitta est. Annuite votis Superi.

PRO-

PROPEMPTICON
DZIAŁINIÆ SAGITTÆ
Gemini Antiſtitii Scopum feliciter tangentis.

ASTRÆOS dominata ſuper, quæ ſidera, Fratres
Eſtis io, & circùm rutilis errantia cyclis
Noctiuagumq; iubar roſeis iaculantia ſertis,
Occiduo refugum geminatis lumine ſolem,
Pandite cæleſtes, præſagæ lampadis ignes.
Affinemq; facem ſacro ſubmittite telo.
Februus aſpirat veſtros non arcus honores
Nec qui falciferis, Crocon animalia, telis
Induit, audaces cumulans Latoides aras,
Vel ceruſſato ludens in corpore Chiron.
Arcus at, Auguſto, Mitræ ſublimis, honore,
Præſuleæ, ſeruans conſtantia tempora, frontis
DZIALINIO natiua, creat quem robore virtus,
Ingreditur veſtros læto mucrone triones.
Nec trepidate pij: non quos Titania pubes,
Viribus immenſis quondam cõnixa lacertos,
Auſa Gygantæo, Cælum miſcere tumultu,
Suſtulit, æterno nomen paritura triumpho
Explorant cæleſte iubar: Bullonia quali
Diuinatricem, confixit cuſpide, prædam
Dextera deciduos, æterni Numinis, ignes
Prona petit, ſolumq; poli tutatur honorem
Quas orbi tenebras, caligantemq; Senatum

Tena

Tænarus inuexit: quæq; eluctantia cæcâ
Nocte Erebi, sacris glomerat feralia tectis
Monstra, ferit Præsul, sanctoq; ex æstuat igni.
Lerna, laborantē lymphato vulnere mundū,
Atq; Medusæo, laceratum viribus, œstro,
Quin stygiū infida redolentem dote cadauer,
Asperat, āguineis perquā truc_ulēta corymbis
Telipotente manu transfixo vertice nutat.
Quodq; superbifico collum temone regebat,
In tumidos flectens, sinuoso margine gyros
Depressum tacito, vix serpentisat, in orbe.
Discit Præsuleam, nascentis arundinis, Harpen
In sua contortam vernare sepulchra, sacroq;
Telo, vipereæ metam defigere fraudis
Et qui mille dolos, technas qui mille retexens,
Pellem compositis qui guttis fuscat amicam;
Dum ceruicato nuper terrore verendus,
Liba Charistiaci, celeberrima, pignore farris,
Oris viperei sceleroso felle venenans,
Marmoreasq; palam tesquis complectier aras
Certus, spelæum profugus remeare paternum
Cogitur; & tenero quamùis concedere laurū
Telo; nec trifido linguam vibrare latratu,
Nec coniuratis multùm confidere telis.
Percitus ille fero, liuentis turbinis œstro,
Augustæ contra Matris iurârat honorem,
Audaci glomerans Phlegræo Dite vocatam
Tisiphonem voto, anguineos in crinib⁹ orbes
Impexam, & taciti lymphatā fraude doloris.
Vt stygiâ comitante Deâ, Phlægrâq; fauente
Oppositis castris, sociisq; iuuantibus hydris,
Aspexit sacram stellatæ Virginis ædem,
Tænarijs bullit mox obuallare Magistris.

Quemq; dedit calicis, Babylon rabiosa, furorem,
Instillare iubet: dubiæ contagia plebi.
Vtq; semel sceleri via contigit, aula tyrannis
Sacrilegas temerare manus, innoxia tristi
Pulsa domo Pietas gemuit: tunc aduena cæco
Barbaries illapsa gradu, vestigia firmat,
Indigenamq; premens: lucem fastidit auorũ.
Mox quæ pestiferis dudum latuêre sub antris,
Nam circumfusæ cingebant vndiq; rupes,
Inq; laborantes vano conamine dextras,
Desuper immensâ, pondus, tellure, lababat;
Extollunt fatale caput letalia monstra.
Tantaleas experta dapes, furuo agmine cunctis
Anteuolat, non vnqnam opibus saturata cupido,
Quasq; recondiderat, sacrisq; aduexerat aris,
Relligio, multos Patrum, inconcussa, per annos,
Surripiuntur opes; venum sacraria fecit,
Auri haud sacra fames: diuo suffusa liquore
Vulturias quantùm rubuêre toreumata, palmas
Quantum inuasores agri expauêre colonos.
Ponè subit vicibus dubiis, passimq; recursat
Plebêium vulgus, iam ceruicosa potestas
Nec satis ipse sibi, mutatis vultibus, error
Cognitꝰ, & ludens dubio impostura refluxu,
Inq; suas iurans periura licentia leges,
Aduehitur lateri: ruit ignorantia præceps,
Et malè possessa diducit in æde lacunam.
Heu Pietas! heu prisca fides! quam lumina obortis
Irroras lachrimis, quam non festina querẽdo
Auxilia imploras: iam lamentabile cursu
Præcipiti, soles numerans allabitur æuum,
Et tamen in crudo marces squallore sepulta,
Partheniaq; effrons dominatur transfuga in aulâ.
Quin

Quin oculos hac parte leuas, quâ cæliger arcus
Excutit ardentem flammâ meliore sagittam;
Illa volat quæritq; nefas transfigere ferro
Vindice, & obuersos astris recludere postes.
Diua faue, quæ prima potens hac æde stetisti
Præsulis infestam monstris bene dirige dextram,
Et fuligineos procul amolire, cerastas:
Vosq; pij Diuûm proceres, quos orsa nefasto
Funestare ausu impietas, sublimibus ima.
Miscuit: alternans cerebrosæ somnia mentis:
Quos saturata odiis & multo sanguine turgens
Sedibus antiquis, furibunda rebellio, mouit;
Supplicibus votis, sancto aspirate labori.
Cuius Apostolicos ambit venerata penates
Orbe super dominata nouo, bellacibus armis
Neptuno Cereriq; minax Hispania. tandem
Diue redux, sacri comple penetralia templi,
Prodigiale notans cælesti fulmine monstrum.
Et qui cōplicibus fædantem germina squammis
Immani populos cum depopulatur, hiatu,
Ocyùs & cauris, gelido & torrentiùs imbre,
Fixum non dubia superasti cæde draconem;
Instrue DZIALINIAM, ferro victrice, sarissam;
Sic Erebo, sic illa grauis larualibus vmbris
Incubet, & stygias Coelo discriminet auras.
Non illam liuor, non illam impune lacessant
Errantes, noctis famuli: fastigia Diti
Quæ, populatrices veri, posuêre cateruæ,
Diruat, hostilesq; operas vertiginet orco.
Ecce autē celebri discurrens prodroma pompæ,
Missa Sagitta volat, Culmæ præsigne Cacumen,
In radium euibrata petens, solisq; nitori
Aemula, DZIALINIO, clarescit coelit⁹, igne.

E Hinc

Hinc resplendet, ouans, geminis Ecclesia mitris,
Et Capiti sacro meritos gratatur Honores:
Hinc effusa suis exvndat sedibus, ostro
Conspicua, & multo comitum spectabilis auctu
Nobilitas, certatq; piam contingere dextram.
Qualis vbi Oceani studio perfunctus Apollo
Auricomis iter vrget equis: non sylua viroris
Integumenta fouet, quæ nox spatiata per orbem
Induerat cæca quatiens caligine mundum;
Non volucres tenuêre sonum, sed perstrepit auctum
Voce nemus, certant blandam impertire salutem
Debellatori noctis: non campus odori
Temperat, inclusam folijs exporrigit Hyblam.
Pratorum turgescit honos: hac lilia candent
Parte, aliâ innato, rosa circumcincta, rubore
Purpurat, & subitis clamas note Hia figuris
Victima lusoris disci: vox gramine prono
Soluitur, & linguas plures dolor vnus inanit:
Nec Narcissus abest vitreis malè perditus vndis,
Quando repercussæ delusus imagine formæ
Languit, & croceum retulit pro corpore florem.
Luxuriat circùm foliis ignobile vulgus,
Et picturatos Cereris glomeratur in artus,
Sic vbi Dzialinio radiauit Mitra decore,
Obuia stipatis procedit turba maniplis,
Acceleratq; oculos, sacro defigere vultu:
Nec populi numerum belli discordia nutrix
Dissipat: ex æquo votorum summa benignis
Quæritur ordinibus: fausto præit ore Senator,
Adstipulatur eques, cætusq; admurmurat omnis,
Augustam Cleri speciem, prænobile templum
Explicat, & parili coalescit gratia plausu.
Iamq; volant mistæq; viris, matresq; nurusq;
Et con-

Et consanguineo firmatum agnomine robur
Spirat in exhaustas, generoso pectore, dotes.
Et quamuis alios felix Gradiuus adæquet,
Orbis victorum studijs: Prudentia multos
Inserat æternis, pennâ prædiuite, fastis.
Forma alios, doctæq; vndans opulentia linguæ;
Cuius ab excelsis solidescit sensibus orbis
Sarmaticus, Patriæq; salus: non vlla moratur
Turba viros: Præsul cunctis spectabilis vnus
Famâ maior adest, aderat qui mentibus olim,
Inq; oculis hominum sensu potiore triumphat.
Cuncti animis votisq; fauent, nec dignius vnquam
Sæcula retro legens meminit se Culma locutam.
Publica nec satis est animo depromere sensa,
Quâ se cunq; tulit bellando Sarmata victor,
Laudibus accumulant laudes, suspiria læto
Non nemo de corde trahens: in sera querelas
Stamina Parcarum iactat. maturiùs, ô si!
Faustum Præsuleæ Caput affulsisse tiaræ
DZIALINII dextro vidisses omine Culma.
Non tot pallantûm vis impunita luporum
Creuisset gregibus, rictu nocitura cruento:
Nec styx tam crebâ signasset grandine prædam.
Vix dum prima sui iecit rudimenta laboris,
Et pastoritiâ cepit florescere virgâ,
Iam se nycticorax ruris penetralibus vltra
Credere non audet, totamq; vlulatibus vrbem
Complet, multa querens: intabescitq; dolendo.
Ecce supercilij frontosâ mole minaces
Impia qui nuper rostra impleuêre tonando,
Iam trepidant humiles, toruoq; exanguia vultu
Lumina vix tollunt, rabidis vox faucibus hæsit.
Scilicet est sacro, mystæ non degener, ausu

Martia, natiuo quæ virtus floruit arcu;
Et quod Prussiacis læti gaudemus in oris,
Æternâ fixum nomen sobolescere lauro:
Mitratæ inuicto radians splendore Tiaræ,
Altius Arctoi protensum culmine cæli,
Ibit ad Empyreum, sociâ virtute, trophæum.
Sic placitum Superis. lenti procedite soles,
Astrisq; immensum transcribite Præsulis æuum.
Talia dum iusto laudum certamine promit
Accliuis Clero populus, iam Dáphnide largâ
Ferratus sobolescit apex, studiumque reponit
Martis, & in certum festinant cuncta triumphum.
Tu solus qui flexanimo, prærupta, canore
Saxa moues, saltuq; facis decurrere syluas,
In numerumque cauos librare cacumina montes,
Vsq; tàcebis adhuc? non è Parnasside tecto,
Non è Castaliis properabis dona viretis
Phæbe Pater? nunquam sinuosis orbibus arcum
Depositum, & pharetras lunato Cynthia neruo,
Quas non erranti iaculatur dextera telo,
Iunge cheli, fidibusque piam modulare Sagittam.
Quin & Pieriis Chiron gratissime Diuis,
Incinerata, sacro studio, post fata, Deorum,
Quem paribus studiis, Cæli dignantur honore;
Fautrices accerse Deas, vt Pneumate Vatum
Aspirent, & digna creent encomia gestis.
Fallor, an ipsa lyram vota vrgent, suauiùs ecce
Tinniit orsa melos, demulsus gestiit aër.

ODE

O D E.

I præpes, almæ remigio inclyta
Pennæ Sagitta; IDZIAŁYNIVM decus
Per nubium orbes, perge velox
Culmiacæ ad radium tiaræ.
Vrget curulis Romuleæ ac pedi
Cimeliarcha; ô! vrget atechnia,
Quam criminis fœdi choragus
Gignit hyperboreo Trioni.
Indulget orbi dum facilis DEVS,
Suppurat ægris vlceribus lues;
Astræa si nutet, recludit
Mille vias scelerum decarchis.
Vrget patriti gloria nominis,
Inserta biblis non morientibus,
Fastisquè; proh, vrget corollâ, &
Daphnide pulcher honos auitâ.
Id Culma simplex sollicito choro
Ambit, dolosis cincta gnathonibus
Nè sors malorum fessa scirpis
Occidat in gremio furentûm.
Minax Sagittis Tisiphone horridis,
Dagonq; fastu Callipede ebrius
Curuet genu; & pennæ nitentes
DZIAŁYNIÆ radios adoret
Ceruice pronâ; te Tyrij vltimi,
Te potus vndis Erydani canat
Pugil, canant & qui sonantis
Margine terga lauant Araxis.
I, tange felix noctis atiniam,
Emissa cornu tortilis annuli.
Quem sæpe sors iactum per æthram
Non bene prima tulit fauentem,

Hunc orbitæ ad elium vehet altera
Labem refundens præteritæ aleæ.
Sic vertit in laudem fritillos
Auspicio meliore Numen.
Lustra, gemella lampade Cynthiam
Solis micanti quæ quoties suum
Opponit auro aduersa cornu,
Plena redit toties in ortum.
Paucos perenni ludipotens sinu
Lactat fauoris, vel gremio Tyche,
Sed Protei vmbellâ vicissim
Ora genasq; premit dolosâ.
Est tempus, arcta dum Charitum chori
Ciues amoris compede vinciunt,
Est, cùm Meduseæ sorores
Tristibus exoculant theatris.
Est, cùm nitentis cæsariem comæ
Phæbus perungit gurgite Thethios,
Mox luce diues, per coluros
Elisij leuat ora strati.
Quandoq; ficti malea fulguris,
Quandoq; muros buccina territat,
Mox pacis interpres virescit
Compositis animis oliua.
Est inuidendas Aligeris domos
Fastidioso qui pede proruat,
Lectisq; mox perenniorem
Ruderibus decoret ruinam.
Non turris vndæ celsa Propontidos,
Non montis Hæmi, nonq; Capharei,
Et vento & astro subniuali
Æodio arua carent tumultu.
I præpes alis, flabra per Africi
Gementis. Eheu quæ noua barbaris

Effusa amaurosis lacunis
Grandinat, Ausoniasq; latè
Leges, mitrasq;, & pegmata Regiæ
Sacræ, furenti lancinat impetu.
Impune, prô pudor! verendas
Effera styx decumet tiaras?
I, rumpe colles, dirue pectoris
Molem tumentis, sterne solo Ioues,
Heu! sterne Toruni pudendis
Sacra diu famulata ludis.
Si fors dicacis turba cymintidis
Mordaci aceto defricuit genas,
Scenam orphanæ nec stringe causæ
Materiem tragici cothurni.
Latrante pugnax Bucephalus cane
Stat fixus, acres nec tumidus leo
Obliquat aspectus, frementes
Dum rabiem geminant catelli.
I per Trionum suaue peristylum
Vias coronans, tectaq; adoreis
Hinc, inde; defer per iugosi
Astra supercilij, Quirinis
Submissa plantis DZIAŁYNIUM pedū;
Fer tænias quæ dum rutilant face
Laudis perenni, cæca puro
Nycteris igne oculos focillet,
Eheû! focillet; grandinis ah satis
Recto polorum: desine: desine
In luce pastoris, gregem umbra
Stringere Nyctimenes sepultum.

ODE.

QVÆ bella? qnantis excita iurgiis
Laté fugaces disiiciunt metus?
Chordamq; compescunt duello,
Et docilem remorantur vrnum;
Quâ fraude tristis prælia suscitat
Bellona Musis horrida? Martiam
Quo Marte tectam cœlat artem?
Nec litui sonat ære pugnas.
Nondum feroces intonuit minas,
Et iam Sagittam flectit in obuios,
Pacemq; profligarc telis
Iam properat, tacitumq; funus
Præceps doloso construit impetu.
Quis credat armis? quis iaculo nouum
Opponat inccrtus furorem?
Quis dubio latitantis iræ
Vatem recenti prodet in omine?
Natusne terris augur, & arbiter,
Raptusq; sub pigrum Trionem
Aerias penetrabo nubes?
Doctus quid acri militia parent
Parthi seuero conspicui sparo,
Parmisq;, Dictæisq; longè
Præcipui, celeresq; telis.
Cuî durus ausu Sarmata, cuî ferus
Scythes propinet vulnera, non satis
Expertus effari, nouasq;
In modulo reserare pugnas.
Est qui canoram nuper idoneus
Chelin sonabat, Mæoniis sacer
Apollo Musis, ille vates
Ominis ille noui patrator.
En iam minacem pro cythara petit
Bellator arcum, iam propriis parat,
Arcuq; lethaliq; tectam
In iaculo reuocare sortem.

per-

I, pertinaces comprime spiritus,
Noscant rebelles dextraq; peruicax
Doctum Sagittarum parentem,
Noscat atrox Tua tela probrum.
Deponat actam sub duce lauream,
Quisquis cruento corde remugijt,
Et qui reluctantes vomebat
Ore globos, calidasq; rixas.
Heu quanta victis vis mala germinat
Portenta; quantos in medijs ciet
Fibris calentes Martis æstus!
Incubat his glacialis horror.
Hos signat atrâ pallor imagine,
His dextra nutat, iam titubant pedes,
Erratq; per ventos arundo,
Perniciemq; sibi minatur.
Sic sic, malignum, quisquis in obuia
DZIAŁYNII audet spicula, spiculum
Torquere, telis ipse iactis
Occiduus dabit arma noxæ.
Frustra Sagittam, quæ stetit annulo
Desixa, vindex noxius aucupat,
Et per reluctantes procellas
Saucius insequitur curuli.
Frustra, sodali munere siderum
Ornata magni stemmata Præsulis,
Toruoq;, crudeliq; semper
Fæda supercilio tuentur,
Iurata Diti pectora, stridulos
Frustra reclamant Martis anhelitus,
Raucumq; frendens trux Erynnis,
Excreat heu malesana tussim.
In filiorum dedecus, impotens
Tantos supinis tollere brachijs
Ictus, nec intortum profanis
Ferre potens iaculum lacertis.
Hæc illa certi spicula Ionathæ,
Nunquam retorta nube superuolant,
Quin missa deriuant in hostem,
Et medijs sua castra castris

Metantur, acri cuspide diruunt
Fossas latentes; mox fera palpitant
Immurmurantûm corda, vasto
Viscera concutiuntur æstu;
O Phæbe! nostri præsidium soli,
Absiste telis, iam timor exulat,
Iam sæua Musarum pericla
Præsulis occubuêre telo.
Postpone curas, quin magè barbiton
Claram sonoro perficiat diem
Plectro, triumphatamq; victis
Ingeminet Tua Musa pacem.
Pacem serenis auribus intonent,
Pacem pharetræ: vosq; superstites
DZIAŁYNIÆ votis citatæ
Ite gradu celeri SAGITTÆ.

Ite perennantes: Superi adsunt: ite Sagittæ,
Sepositaq; procul Gradiui è casside pennâ,
Præsuleas laudes sacro instaurate theatro.
Fausta superueniat trabeatæ laurea Mitræ,
Inq; pijs salibus non iniucunda triumphet.

Zischa cum ante oppidum cui Rabbi nomen est conuocatis fratribus Thaboritis *&* Orebitis *(Hæreticis) castra teneret: obsessosq; summâ vi oppugnaret; oculum, quo vno lumen Cæli videbat, Sagittâ confossus, amisit. Æn: Sylu: Histor: Boëm: Cap: 44.*

Et Tua Antistes Illustr: Sagitta Pari omine tēdit.

Heluo Christiadum profusi Zischa cruoris
Dum rabidâ innocuos obsidione premit,
Vrbe Sagitta volans Rabbi: bene consona voci,
Erudit Hussiacum cæca docere Ducem.
Qui malè Cimmerijs furis occæcatus in vmbris,
Heûs fuge DZIALINIÂ tela vibrata manu.
Si Polyphemæo te cæcutire sub antro
Ambigis, à certo vulnere dogma feres.

Sunt qui telum in Sagittæ cuspidem ita ↥ figuratum damnationis signum esse autument: ad explodendum summouendumq; aliquod ineptè dictum in scriptis. Pier: Hierogl: Lib: 42. Cap: 18. At quid Hæresiarcharum somnijs, quæ in effata transferre satagunt tenebriones magistelli, vspiam ineptius?

Hos

Hos meritò damnat Sacra Sagitta logos.

Quæ calami exsiccis dat spongia puncta lituris,
Postquam illi steriles incubuêre semel.
Hæc malè proiectis veniunt in codice verbis,
Cum venit à docta, tensa Sagitta manu.
Præsuleam sed enim magis exhorresce Sagittam,
Cui manat stygio littera fusa lacu,
Sic mala configet verborum elementa cicatrix
Auctorem vt pariter fronte carere notet.

Godefridus Bullionius I. Hierosolymorum Rex eam vrbem obsidens tres ardeas vno sagittæ ictu confixit. Claud: Paradin: è Emonumen Lotharing:

Fatalis pluribus hæc est

Nubiuagæ plumata cohors dum syrmata pennæ
Explicat, atq; alâ remige inane secat,
Eximia cupidam Bullonius arte sagittam
Vibrans, vno tres impete figit aues.
Hæresis ó quantum Lechicis sub nubibus agmen
Remigat! heu Mystæ curre Sagitta celer.
Curre, petes felix non tres, sed mille volucres,
Nam cæcas omnes, credito nycterides.

Georgius Castriotus Scanderbechus Epirotarum Princeps, ensem dextro brachio innatum habuit: Turcarum varijs conflictibus vno gladio quatuor millia cecidit. Marian: Barlef: in eius vita.

Æquè hoc penetrabile ferrum.

Natum humero gladium quem Scanderbechus habebat,
Pectoris inuicti nobile stemma tulit.
Turcarum quater hoc periêre ab acinace mille,
Epiri armatas dum populantur opes.
Dzialinio at natam dum sanguine conspicis Harpen,
Hæresis, æternum funeris omen habe.

Alcon Cretensis cùm filium eius rapuisset draco, tantâ arte sagittam direxit, vt, illæso filio, draconem ipsum confecerit.

Nunquam telum istud aberrat.

Strinxerat immanis puerilia colla Cerastes,
Aduerso ignitas ore vibrando spathas.
Præpes ab impauido contorta Alcone sagitta,
Illæso nato, permeat exta feræ.
At quanto orcigenas meliùs Dzialinia venas
Cuspis, & obiectos tangere gnara scopos.
Si quem anguis stygius tereti circumplicet orbe,
An non mox sanguis, si hæc ferit, anguis erit?

Plutonem ab Hercule cor sagittâ transfixum fuisse tradit Pier: lib: 42. c. 8.

Sic à Præsulea Pluto gemis icte Sagitta.

Saucius Herculeis Pluto sub corde sagittis,
Lernæo immersit terga torosa vado.
Postibus & quamuis fuerit vallatus ahenis,
Transiit æratas iacta sagitta fores.
At tu Trinacrias liparis quæcunq; cauernas
Incolis, & piceos sæue chelydre toros,
Pro telo Herculeo, Mystæ mactabere telo,
Si baculum effugies, non iaculum effugies.

Epharetrâ sacroq; penu conspiret in vnam
Telorum reuoluta seges flagrantiùs hydram.
Nèue per enatos confossa repullulet artus:
Flammea vis Cælo domet exitiale venenum.
Inq; suos ortus festinans depluat orco.

Sagitta salutis Domini. 4 Reg: cap: 13

Altiuolæ quorsum declinas lumina pennæ
Ausonio pridem turba subacta pedo?
Non bilem in tumidas egurgitat illa procellas,
Irarum tetricas igniculatq; faces:
Non tragico gestit ludo, scenaq; Perylli,
Aut mæstum capulis funus anhela trahit.
Vni Mythologo portendit fata bilingui,
Ad prodromam nobis signat in astra viam.

Sagittas suas ardentibus effecit. Psal: 7.

Vidisti ign tum flammare sub æthere telum,
Gentis DZIALINIÆ nobile stemma vides.

Præsul

Præsul in hôc Latium Diuino inflammat amore,
Certa sed in profugâ busta phalange creat.

Misit Sagittas suas & disipauit eos. *Psal.* 17.

Quæ noua Sarmaticis attollit Hyæna lacunis
Cristas, & piceos fulminat ore globos?
Quis Diomedæum sinuosis cornibus agmen
Ludio, per sacros ludere cogit agros?
Heu rue DZIALINIIS suffulta Falarica pennis,
Fuscum nyctimenes pelle Sagitta gregem.
Cùm tot lucifugos cineraueris ante cerastas,
Facta, an missa adsis cælitus, in dubio est.

Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum *Ecclesi:* 43.

Qui Sacro erumpens telum specularis ab arcu,
Ad tumuli prædas hoc reuocare caue.
Qualis ab ætherio, cùm mille coloribus halat,
Talis Præsuleo pax ab honore venit.

Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. *Psal:* 61.

Quis furor anguineos hydram collotenus armos
Exerere, & tragicis semper hiare tubis?
Forsan tergeminum terebrari Præsulis Hastâ
Obstetrice putas non potuisse Caput?
Pone supercilium, & pulmonis rumpito fastum;
Pappa minutum, non missile torua geris.
Non opus hic teretes gyros componere: nomen
DZIALINIUM, infelix tartaro in omen erit.

Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ. *Eccl:* 5

Indigitare Sacrum certant Tua stemmata munus,
Quod pastoritiâ sedulus arte colis.
Arcus lunatum MITRÆ depingit honorem,
Virtutem Superis monstrat arundo parem.

Æternus Sancti meta laboris honor.

Culmenses nuper Dzialyno missa per agros,
Errabat certum docta Sagitta Scopum.
Occurrunt Charites, metam intentare paratæ:
Annulum, ait Virtus, induat illa meum:
Instat Nobilitas proprium obuersura Sagittæ
Annulus hem noster, tertius inquit honor.
Vt tandem dubios Mauors componeret ausus,
Illustri ter, ait, stent mea Tela Scopo.

Metam conatus noster attigit Illustriss. & Reuerendissime Domine non laudes Tuæ: vilium quippe est Animarum in stadio gloriæ metam inuenire facilè posse. DZIALINIVS Sagitti potens cùm infinita virtutum, gloriæ, honoris spatia decurrerit, attinget vltimam nondum metam.

